



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

II. De constitutionibus Ioannis legati apostolicae sedis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

CAPITVLA.

I.

Ne onerentur culpæ pondere ex transgressione constitutionum prouincialium Christi fideles, quibus diuina pietas iugo suauis & oneri leuiori supponere misericorditer est dignata, sacro approbante Concilio ordinamus, quod constitutiones prouinciales prædecessorum nostrorum, & quæ in futurum condentur, nisi aliter in condendis expresse fuerit ordinatum, non ad culpam, sed ad pœnam tantum earumdem obligent transgressores.

II.

Quia in procemio constitutionum prouincialium editarum per bonæ memoriæ dominum Ioannem prædecessorem nostrum, continentur hæc verba: [*Præcipimus constitutiones per dominum legatum editas in Concilio per eum apud Vallemoleti celebrato, cum infrascriptis per nos in præsentis Concilio editis obseruari.*] aliquibus graue periculum videatur, quod transgressores constitutionum domini cardinalis legati prædicti, quæ præceptum non continent, eos ad culpam obligent ex vi præcepti quod in dicto procemio continetur; & quia ex eo quod aliqui asserunt, quod eadem constitutiones domini legati non ligent, pro eo quod non fuerunt publicatæ integraliter modo & forma in procemio earumdem traditis & contentis: nos sacro approbante Concilio statuimus & declaramus, quatenus vigore præcepti huiusmodi ad obseruantiam dictarum constitutionum præcepta domini cardinalis legati nos & subditos nostros non obligent, nisi in eo casu

modis & forma, quibus nos & eos dicti domini legati constitutiones statuerunt obligari.

ANNO
CHRISTI
1355.

In cuius rei testimonium præsentem literas per infrascriptum notarium publicum in formam publicam redigi, ac nostri sigilli appensione mandauimus communiri. Datum loco, die, mense & anno prædictis, præsentibus venerabilibus & discretis viris Hugone de la Manhama legum doctore de Maiorito, ac Didaco Gonsalui de Talauera, archidiaconis, ac Ioanne Alphonso de Villa regali canonico ecclesiæ Toletanæ, testibus ad præmissa vocatis.

Et ego Alphonso Fernandi publicus auctoritate archiepiscopali in ciuitate & diocesi & prouincia Toletana notarius, prædictarum constitutionum editioni, publicationi, ratificationi, ac omnibus & singulis supradictis vna cum prænominatis testibus præsens interfui, & in præsentibus literis meum solitum signum apposui rogatus in testimonium veritatis.



V I T A

VRBANI PAPÆ V.

ANNO
CHRISTI
1364.

VRBANVS quintus patria Lemouicensis, antea Guilelmus Grifant appellatus, ex abbate sancti Victoris Massiliensis ad summum ecclesiæ fastigium euectus est quinto Kalendas Octobris, anno Christi 1362. sub imperio Caroli IV. imperatoris, eo scilicet tempore, quo apud vicecomites legatione fungebatur. Auenionem profectus sua singulari animi magnitudine qua præditus erat, cardinalem Ægidium (de quo supra) in Italiam misit, vt libertatem ecclesiasticam tueretur. Eodem etiam ipse pontificatus sui anno quarto se contulit, vt controuersias ibidem exortas sedaret & componeret. Quibus sopitis, cum pia vrbis loca visitaret, sanctorum Petri & Pauli capita in loco satis vili reperit: quæ auro argentoque circumdari & exornari procurauit, solennique pompa in Laterano reposuit. Oruieti & in Monteflascone palatia cultissima extruxit, quod ea loca propter aeris temperiem sibi posterisque suis conuenientissima essent. Mor-